





*actuarij vreis Notarius in Testamento judiciali  
non supplet.*

*1731, 9/10*

*242*

**PRO-CANCELLARIUS  
IOAN. CHRISTIANVS  
KOENIGK,  
IVR. VTRIVSQUE DOCTOR, ET FAC.  
IVR. LIPS. ASSESSOR,  
SOLENNIA  
DOCTORALIA  
NOBILISSIMI ET CONSVLTISSIMI  
IO. GEORGII KNOBLAVCHII,  
ZITTAVIENSIS LVSATI,  
DIE XIII. SEPTEMBR. MDCCXXXI.  
CELEBRANDA  
INDICIT.**

PRO-CANCILLARIAS  
IAC. CHRISTIANUS  
KÖNIGER  
M. ALEXANDER DOCTOR ET FUC  
IAR. LIPS. ASSISTOR  
SOLINNA  
DOCTORALIA  
MORTISMI ET CONSERVISMI  
IO. GEORGII KNOBLVACCHII  
SITTAVINENSIS RAVATP  
DIE XII SEPTEMBER MDCCXXXI  
CLERICIVND  
INDICIT



A. Ω.

**D**egibus XII. Tabb. et quidem  
Tab. V. leg. i. cautum legi-  
tur: Paterfamilias vti le-  
gasset super pecuniae tute-  
laeue suae rei, ita ius esto.  
Quibus verbis iuxta Pom-  
ponium in l. 120. ff. de V. S.  
latissima potestas et heredes instituendi, et le-  
gata et libertates dandi, tutelas quoque consti-  
tuendi, tributa videtur. Et quem admodum  
ex adducta lege XII. Tabb. verbum, legare, iu-  
re Decemuirali, idem est, ac testari, **VIGL. de**  
**testam. ordinand. in pr. n. 33. GOEDD. ad d. l.**  
**120. de V. S. n. 2.** ita per vocabulum pecuniae,  
eodem iure, nihil aliud, quam hereditas intelli-  
gitur, **l. 22. circa fin. C. de administr. tutor.** Li-  
cet autem antiquitus nihil magis hominibus  
deberi creditum fuerit, quam vt supremae vo-

A 2

lun-

Iuntatis, postquam iam aliud velle non possunt,  
liber sit stylus, et licitum, quod iterum non re-  
dit, arbitrium, l. i. C. de SS. Eccles. Nou. I. c. 2.  
§. 2. et Nou. 22. c. 2. in princ. attamen, aeuo po-  
steriori, aliud legislatoribus placuit, et testato-  
rum licentia in multis iuris articulis fuit immi-  
nuta. Hinc *lege Furia*: ne cui, nisi manumis-  
soris cognato, certisque aliis personis supra mil-  
le asses legare, mortisue causa donare liceret,  
cauebatur, deinde *L. Voconia*, ne qui census  
esset; i. e. centum millia sestertium possideret,  
virginem, neue mulierem supra quadrantem  
suorum bonorum, h. e. ultra viginti quinque  
millia sestertium, heredem institueret, contine-  
batur. porro *L. Falcidia*, ne plus legare testa-  
tori permitteretur, quam dodrantem bonorum  
ab ipso relictorum, pr. J. de *L. Falc.* et l. i. in  
pr. ff. eod. praescribebatur. It. *L. Fusia Cani-  
nia*, certus modus constituebatur in seruis testa-  
mento manumittendis, quae tamen poste, a  
quasi libertatem, ceu rem inaestimabilem, §. 7.  
J. quibus ex caus. manumitt. non lic. l. 106. ff.  
de R. I. impediens, quodammodo inuida, est  
sublata, pr. J. de Leg. *Fus. Canin. tollend.* nec  
non *L. Aelia Sentia*, ne in fraudem creditorum  
seruos manumittere Domino, soluendo non  
existenti, esset liberum, pr. J. quib. ex caus. ma-  
num. expresse disponebatur. Nec vlli licitum  
nunc

nunc est , in suo testamento , ne leges, licet eae  
aliter statuant , in illo locum habeant , l. 55. ff.  
*de legat.* i. cauere, sed ipsi potius incumbit , vt  
omnia ea , quae circa testamenta ordinanda  
sunt statuta, ad amissim obseruet , l. vlt. in fin.  
*C. de fideicom.* et ne latum vnguem , vt dicitur,  
ab iis recedat , l. 32. ff. *de legib.* siquidem ea tan-  
tum possumus, quae lege possumus, c. 18. X. *de*  
*rescript.* Ea propter testatoris vltima volun-  
tas tunc demum robur accipit , si sit legitima,  
i. e. legibus conformis, l. 4. ff. *qui testam. facer.*  
*poss.* alias , si contra iuris dispositionem testa-  
mentum est conditum , illud , quod in eo con-  
tinetur, non subsistit, sed idem, ac si plane nul-  
lum esset factum, habetur , l. 5. C. *de legib.* cum  
sint paria, aliquid plane non fieri, et non rite  
fieri , arg. l. 6. ff. *qui satisd. cogant.* Atque  
haec, quae diximus de omni iure , siue sit Ius  
Ciuile Rom. siue Imperii, siue Prouinciale, siue  
etiam municipale sunt intelligenda, cum quilibet  
subditorum, secundum superiorum placita  
et sancta, actiones suas debeat instituere , l. 7.  
et 29. ff. *de legib.* Quae autem circa requisita  
testamentorum custodienda veniunt, ex legibus  
et constitutionibus satis constat, adeo , vt non  
opus sit, ea omnia ex illis huc referre. Eius  
tantummodo mentionem impraesentiarum fa-  
cere nobis animus est, quod , si quis testamen-

tum iudiciale velit confidere, atque ob aduersam valetudinem ipse in iudicio comparere nequeat, sed illud domi ordinare eum oporteat, et testator, et Iudex id, quod leges iubent, probe obseruare teneantur. Et quidem quod Iudicis partes attinet, in foro Sax. El. iuxta *Decif.* 73. hoc constitutum nouimus, quod ille, praeter Actuarium, ad minimum duos Scabinos, si non ipse cum uno alteroue Scabino adefse velit, aut possit, regulariter alegare debeat, alias eiusmodi testamentum pro nullo declaratur. Quid autem si Actuarii copia haberi nequeat, num Iudex Notarium requirere, eique hunc actum, cum Scabinis expediendum, possit committere quaeritur? Hic casus Facultatis nostrae Iuridicae decisioni a D. J. C. S. Mens. Nou. 1728. fuit oblatus, sc. Praefectus L. rogatus, ut testamentum a J. S. conditum recipere, non solum ipse aedes priuatas adiit, sed etiam iudicem paganum, den *Land-Richter*, secum attulit, loco autem Actuarii Notarium Publicum Caesareum ad hunc actum requisivit, coram quibus testator supremam suam voluntatem exhibuit. Post eius mortem lis inter viduam et liberos circa relictam hereditatem oriebatur, et ante omnia, vtrum testamentum subsisteret, quaerebatur? Quam quaestione negauimus, moti his rationibus, 1) quod Actua-

**A**ctuariorum testamentis iudicialiter conficiendis  
necessario interesse, et quae geruntur diligenter et  
fideliter actis debeat inserere, *Dicit. Dec. El. Sax.*  
*73.j.Dec.39.in fin. RICHT.p.1.D.30.n.25. BERLICH.*  
*p.1.Dec.85. PHIL.ad Dec. El. Sax. 45.O.1.n.48.*  
quem in modum respondit etiam Fac. Jur. Lips.  
M. Nou. 1714. 2) quod ille ad hoc iudicium,  
quod ad eiusmodi actum expediendum roga-  
tur, sit constitutus, et iureiurando deuinctus,  
*cap. II. X. de probat. Ord. Proc. Sax. El. tit.2.*  
*circa finem vers. Wollen wir &c. Resol. Grau.*  
*de an. 1661. von Just. Sachen §. 32. vti itidem*  
respondit laudata Fac. Mens. Dec. 1706. siqui-  
dem, quod ad formam alicuius actus est praes-  
criptum, illud nullo modo immutari, aut per  
aequipollens suppleri potest, *BALD. in l. 20. C.*  
*de fide instrum. Accedit* 3) quod munus actua-  
rii a notarii officio sit plane distinctum, *Dec.*  
*El. Sax. 39. in fin.* adeo, ut quae isti compe-  
tunt, ab hoc expediri nequeant. Fluit ergo  
exinde, Iudicem in testamento iudicali non  
posse, in locum Actuariorum, Notarium adhibere,  
vtut eius testimonio alias singularis fides tribua-  
tur, vt etiam duorum testium vice fungatur,  
*MENOCH. de A. J. Q. l. 2. cas. 91. n. 3.* Eadem  
ratione iam antea respondit inclyta Facultas  
Iuridica Vitembergensis Mens. Nou. 1695. et  
Mens. Sept. 1720. His autem diutius immo-  
rari

rari praeſens iſtitutum non patitur. Quare  
potius ad id, quod ſcribendi occaſionem nobis  
praebuit, conuertimur. Scilicet ex more re-  
cepto de natalibus et ſtudiis

*Nobilissimi et Consultissimi Candidati*

**DN. IOANNIS GEORGII  
KNOBLAVCHII,**

quaedam, eaque praecipua, nunc recenſenda  
veniunt. Natus is est An. M. DC. XCVII. die  
XXII. Decembris in agro Nifano, Marchiona-  
tus Lufatiae superioris, Zittauiae, ex honestis  
Parentibus, Patre, MARTINO KNOBLAV-  
CHIO, ciue ibidem, collegii Opificii, quod vo-  
cant, Laneatorum membro, Matre vero MA-  
RIA, ex Rideliorum stirpe oriunda. Prima funda-  
menta rerum diuinarum et humanarum in lite-  
ris patrio debet Gymnasio, eiusque Praeceptoris  
publicis, in primis Dn. KNEBELIO, M.  
PITSCHMANNO, Beatis MIR O et WENZE-  
LIO, sub quorum iuuenientia literis elegantiori-  
bus et disciplinis bene informatus nostram Lipsi-  
am, Musarum ſedem ſupra tria ſecula celeberrimam,  
An. M. DCC XVII. ſe contulit, et in Phi-  
losophicis Professoris MENZII, M. MULLERI,  
nunc Directoris Gymnasii Zittauiensis, D.  
RUDIGERI, et in primis D. MULLERI scho-  
las

Ias sedulo est sectatus. His absolutis Professorem D. IO. BVRCHARD. MENCKENIVM, in Historia literaria, politica et D. CHRISTIANVM GODOFREDVM HOFFMANNVM, iam Facultatis Iuridicae in alma Viadrina Ordinarium, nec non D. GLAFFEY, in Historia Iuris et Iure publico audiuit. Cum autem imprimis studio Iuris se applicare constituisse, haud neglectis collegiis publicis B. Ordinarii MENCKENII, vt et Prof. D. RECHENBERGII, aliorumque, statim collegia priuata D. PHILIPPI, D. WEIDLINGII, D. SCHACHERI, et, post eius obitum, D. DINCKLERI ad omnes Iurisprudentiae partes, sine intermissione, frequentauit, iisque et examinatoria et disputatoria adiunxit. Relicta hac Philuraea, ad vicinam Academiam Fridericianam, quae Halae Saxonum est, An. M. DCC. XX. transiit, et in illa ab ore Professorum Ordinariorum, THOMASII, BOEHMERI, LUDOVICI, GVNDLINGII et WOLFFII pependit, anno vero M. DCC. XXI. patriam repetiit, et oblatam Gubernatoris duorum Iuuenum Nobilium de CANIZ et de ALBA spartam in se suscepit, eoque otio minime otiosus esse voluit, sed nostri nunc Ordinarii Dn. GRIBNERI Principia Iuris Nat. in nucleus redacta, Vitebergae M. DCC. XXII, vt et aliud scriptum sub titulo:

B

Philo-

Philosophisches Sendschreiben an Hn. Hof-  
Rath, D.R.L von der in uns Menschen zwis-  
schen Leib und Seele eingerichteten Harmo-  
nie, ib. M. DCC. XXVII. edidit, aliaque, ast in-  
edita, et adhuc in MStis asseruata, composuit.  
Noluit autem soli theoriae insistere, verum  
etiam praxin postquam antea hic Lipsiae D.  
BIRNBAVMIVS ei viam ad illam stravit, et  
D.GVST.HENR.MYLIVS ad practicum, vt di-  
citur, Collegium Elaboratorium ipsum admisit,  
cum illa coniungere, et clientum causas orare in-  
stituit. Quapropter mandato Regio de Aduo-  
catis in Lusatia superiore M. DCC. XXV. pu-  
blicato, a Magistratu Zittauensi, praevio iura-  
mento, in Aduocati, et Dresdae in Notarii mu-  
nere est confirmatus, matriculaeque insertus.  
Nunc autem redux huc factus, Collegium no-  
strum adiit, et ab eo, vt ad summos in vtroque  
Iure honores aditus aperiretur, modeste petuit.  
Cui honestissimo desiderio Facultas nostra de-  
esse noluit, adeoque illum ad consueta speci-  
mina admisit. Rite itaque tentamine, vt et  
examine rigoroso peractis, in quibus suam in  
Iure scientiam nobis ex voto comprobauit, ni-  
hil reliquum est, quam vt lectionem cursoriam  
ad l. 2. ff. pro soc. die Mercurii, quae est XII. Se-  
ptembris hora II. pomeridiana instituat, et alte-  
ro die Iouis ab hora VIII. matutina ad XI. in-  
augu-

auguralem Disputationem, de Zittauensi Com-  
munione bonorum inter coniuges, eiusque pree-  
cipuis effectibus in foro, exaratum in Auditorio  
Petrino, sine Praeside habeat. Id quod  
confestim sequetur ipse Promotionis actus,  
quem hac vice Collega noster honoratissimus,  
Dn. CHRISTOPHORVS DONDORF-  
FIVS, Facultatis nostrae Senior, nec non Iu-  
dicii Prouincialis in Lusatia inferiore Assessor,  
concessa a Rererendissimo ac Serenissimo Prin-  
cipe ac Domino, Domino HENRICO,  
*Duce Saxoniae, Iuliae, Cliviae, Mon-*  
*tium, Angriae et Westphaliae, Epi-*  
*scopatus Martisburgensis Postulato*  
*Administratore, Landgrauio Thurin-*  
*giae, Marchione Misniae, ac utrius-*  
*que Lusatiae, Comite Principalis Di-*  
*gnitatis Hennebergico, Comite Mar-*  
*cae, Rauensbergae et Barby, Dyna-*  
*sta in Rauenstein etc. Cancellario hu-*

ius


966

*ius Academiae Perpetuo, Domino  
meo Clementissimo, potestate, Promoto-  
ris munus a me, Pro-Cancellario, delegatum est,  
expedit, et antea nominato IO. GEOR-  
GIO KNOBLAVCHIO, praefito prius  
sacramento iustitiae, in vtroque Iure Licentia-  
ti, et mox Doctoris dignitatem conferet, simul-  
que omnia priuilegia et immunitates, quae Do-  
ctoribus nostris, attamen sine sessionibus et  
suffragiis in Facultate nostra, competit, ei-  
dem attribuet. Ut autem hic actus eo splen-  
didior fiat, *Magnificum Academiae Rectorem,*  
*Comites Illustrissimos, Proceres utriusque Rei-  
publicae Amplissimos, nec non Generosissimos*  
*et Nobilissimos Studiosos ea, qua par est, ob-*  
*seruantia et humanitate rogatos cupimus, ve-*  
*lint illum praesentia sua exoptatissima conde-*  
*corare, eique maiorem lucem accendere. Quam*  
*gratiam et benevolentiam, Ordini nostro ex-*  
*hibitam, mutuis studiis et officiis demererinon*  
*intermittemus.* P. P. Dominica XVI. post  
Festum Trinitatis, A. R. S.  
MDCC XXXI.*

---

*LIPSIAE,*  
EX OFFICINA LANGENHEMII.





Leipzig, Diss., 1731 A-L

X 241 7843



B.I.G.

uerij vrey Notaries in Testamento judiciali  
non supplet.

1731, 9<sup>th</sup> 19.

242

PRO-CANCELLARIVS  
IOAN. CHRISTIANVS  
KOENIGK,  
IVR. VTRIVSQUE DOCTOR, ET FAC.  
IVR. LIPS. ASSESSOR,  
SOLENNIA  
DOCTORALIA  
NOBILISSIMI ET CONSVLTISSIMI  
IO. GEORGII KNOBLAVCHII,  
ZITTAVIENSIS LVSATI,  
DIE XIII. SEPTEMBR. MDCCXXXI.  
CELEBRANDA  
INDICIT.

Farbkarte #13

